



P. 26. num. 23. 1752. 6.

RESOLVTIONES LEGVM ALIQVARVM
QVIBVS VVLT PROBARI

**FOEMINAS NON NISI
IVDICIALITER
SCTO VELLEIANO
VALIDE ET EFFICACITER RENVNCIARE**

21

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA
AVCTORITATE

P. 228.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN INCLITA MARBVRGENSI ACADEMIA

PRO LICENTIATVRA

IN VTROQVE IVRE CONSEQVENDA

SOLEMNI ERVDITORVM DISQVISIONI

S V B M I S S A E

A

CAROLO LVDOVICO SCHROETER

AVGVSTISSIMO ET POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI

A CONSILII REGIMINIS IN DVCATV MAGDEBVRGENSI, ET ASSESSORE

PRAESENTATO CAMERAE IMPERIALIS, QVAE VEZLARIAE EST.

DIE XIII NOVEMBR. MDCCLII.

RESPONDENTE

IOANNE LVDOVICO CONRADI

MARBVRGENSI.

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI.



11



RESOLUTIONES LEGVM ALIOVARVM

OMNES VIT PROPRI

FORMINAS NON NISI

IVDICIALITER

SCITO VELLIANO

VALIDE ET EFFICACITER RENUNCIARE

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

F R I D E R I C O

HASSIAE LANDGRAVIO RENOVA

AVCTORITATE

LEGVM SCILICET LEGVM

IN IUSTITIA PRAESENTI ACADEMIA

PRO LICENTIA TAVRA

IN VITROQVE CONSO BNDI

SOLEMNI PRAEDICTORVM DISPOSITIONI

S V E M I S S A E

CAROLO LUDOVICO SCHROEFFER

AVGVSTISSIMO ET POTENTISSIMO BORVSSIVM REGI

A CONTINUIS REGIMINIS DVOMVS MAGNIFICENTISSIMO ET SERENISSIMO

PRINCIPIS CAROLI MARIAE GVAELICIVM

DIUINI NOBVM MCCCXXXV

RESPONDENT

IOHANNI LUDOVICO CONRADI

MAGISTRO

PHILIPPO CASIMIRO MALLERI






RESOLUTIONES
LEGVM ALIQVARVM,
QVIBVS VVLT PROBARI :
FOEMINAM NON NISI IVDICIALITER
SCTO VELLEIANO VALIDE ET
EFFICACITER RENVNCIARE.

B. C. D.

I.

 I ure consultorum, qui mulierem non nisi in iudicio sive coram iudice valide & efficaciter SCTo Velleiano renunciare contendunt, licet ita magnus sit numerus, ut qui maxime; ratum tamen apud me atque statum est, hanc eorum doctrinam neque ex patrio iure neque ex peregrino, puta, Romano satis posse confirmari, id quod in sequentibus ibo demonstratum.

A 2

Dici

Dici vix potest, quot quantave in materia de foeminarum renunciatione Scti Velleiani inter DD. reperiantur sententiarum divortia. Sunt, qui in hoc negotio absolute desiderant iudicis fidem & autoritatem. At non desunt, qui e contrario extra iudicium & absque iudicis interventu illud valide quoque posse absolvi, contendunt quam maxime, utriusque tamen classis sectatoribus circa modum & adhibendas solemnitates rursus in diversas sententias abeuntibus. Nos, quibus de hoc iuris themate, ob frequentiores in foro disceptationes, ante annos iam animus fuit, integrum contextere opusculum, donec coeptum id, si vacabit, aliquando absoluturi sumus, in praesentiarum tantum ad examinis libram vocabimus leges, quibus, qui pro iudiciali pugnant, renuntiatione, veriolem suam esse sententiam solent probare.

II.

Ordior a Jure patrio, cui, uti existimo, apud nostrates semper debetur primus honor. Nimirum adlegatur ex illo 1) antiqua illa Repkovii collectio, vulgo *der Sachsenspiegel*, quae de foeminarum renuntiatione iudiciali haec facit verba: *Verloveden se id vor Gerichte, so mut man se des Bat vertügen, denn se des unschuldig imagen werden. Obr. L. 1. art. 13.* Quae ex his desumi solent causae firmamenta, ea non latere viros doctos, cum quibus colloquor, puto. Verum animadvertent iidem ipsi studiosiores in viscera textus scrutatores, 1) Repkovium sic minime heic sentire, quasi foeminarum renuntiationes absolute sive ex praecisa iuris necessitate in iudicio sint peragenda, sed docere tantum, quod si fiant in iudicio ratione probationis multum conducant, ac ideo intersit quam plurimum. Deinde 2) agi hic tantum de hereditatis renuntiatione, a qua ad quamvis aliam non valere argumentationem, equis est, qui non videat? Atque certe profecto valebit in praesenti consequentia minus multo

to ad illam SCri Velleiani renuntiationem, quam, quod ne-
minem fugit, tempore congestae illius compilationis apud
Maiores Iuris Romani usus fuerit adhuc vehementer exi-
guus.

III.

Provocant 2) ad textum Iuris WEICHBILD. art. 57.
qui sic se habet: *das Weib hat an seinen Gute nichts, der
Mann hab ihrs dann vor Gerichte, und im gehegten Ge-
dinge gegeben.* Etenim quod hic Lex in masculino requirit,
id magis putant requiri ac necessum esse, ut a feminis ob-
servetur, quas scilicet naturam imbecilliori finxisse iudicio,
non neget ullus. Nec nego ipsemet ego. At eratne & hic
applicanda nostra regula: a diversis ad diversa non valere
consequentiam? Immo debebat omnino applicari. Loquitur
enim lex de donatione facta uxori a marito, quam inter &
mulieris fideiussionem, magnum apud Saxones intercessit
olim discrimen & peculiaris quaedam differentiae ratio. Et-
enim observaverunt iam dudum ICTi, illas apud hanc gen-
tem plane fuisse prohibitas, Pandr. L. r. art. 34. & 52. & ea
propter illos, qui donationem meditabantur, oportuisse
iudicem adire, & eius pro licentia donandi implorare auto-
ritatem, quod caput fustus exposuit IAC. FRID. LVDOV. diff.
de div. iure bon. hered. & acquil. Enimvero si mores ma-
iorum spectes in mulierum intercessionibus, rem certe lon-
ge aliter deprehendes. Tantum enim absuit, ut mulierum
fideiussiones apud Germanos essent prohibita, ut utique
potius liceret adhibito modo curatore. Vides igitur, mi-
scere quadrata rotundis illos, qui ab actione prohibita ad
licitam ducunt argumentum. Illi conciliandus erat valor
per iudicis autoritatem, haec iam per se subsistebat nullo in-
digens iudicis munimento.

Latuit enim diu maiores illud Romanae iurisprudentiae vetus
 SCrum Vellei. & fuit ea foeminarum in contrahendo con-
 ditio, ut in iudicialibus opus quidem haberent curatore, in
 extraiudicialibus autem virgines & viduae maiores val-
 lide agerent sine curatore, Pandr. L. 1. art. 45. verb. *Mage*
de aver un ungemannede Wiff verkopet, dr eygen ane dres Vor-
mundes Orloff. Et si forte laederentur, gaudebant restitu-
 tione in integrum, ceu post Schilterum IACOBI diff. Wit-
 temb. sub praesid. Martini hab. *de in int. restit. mul.* THO-
 MASIVS *de usu Scti Vellei.* §. 6. & EVERHARD OTTO diff. Ul-
 trai. *de perpet. fem. tutela* c. 2. §. X. seqq. abunde probarunt.
 Nec subest dubium, quin eadem ratione ac alii contractus
 fideiussiones a mulieribus modo cum consensu mariti vel
 curatoris sint celebratae, easque devinctas reddiderint, pro-
 uti id. a B. STRYCKTO *in Us. Mod.* L. XVI. T. 1. §. uberius ex-
 positum est.

IV.

Cumprimis 3) quasi ad aram confugiunt ad cele-
 brem illam Serenissimi Legislatoris Saxonici D. Augusti san-
 ctionem latam Ao. 1572. quae dicit: *Wenn solche und derg-*
gleichen Intereessiones autoritate curatorum von denen Ehe-
weibern, auch Jungfrauen und Wittwen, so natu maiores
seyn, und in iudicio ergiengen &c. P. II. Const. XVI. in Eod.
 Aug. T. I. At quid? si dicerem 1) hanc legem non esse
 universalem Germaniae, eius igitur autoritatem non posse
 extendi ultra & extra terras Electorales Saxonicas. Neque
 2) arbitror, in his ipsis illam ceu regulam generalem, quae
 nimirum omnes omnino feminarum in fideiubendo renun-
 ciationes ad iudicis fellam vocet, posse allegari. Sane enim,
 si curatius textus inspiciatur, apparebit, non in omnibus sed
 nonnullis duntaxat casibus iudicalem requiri renunciatio-
 nem.

Id

Id me oportet brevibus explanatum dare. Diverſa ſcilicet capita hac conſtitutione continentur. Primum definitur caſus: *Si uxor pro marito intercedit, et bona ſua PROPRIA obligat*, et dicitur non teneri illam, niſi a) in eius utilitatem ſit verſa pecunia, vel b) iurato renunciaverit beneficio S^Ci Vellei. Alter deinceps caſus eſt: *Si pro extraneo intercedit*, qui actus valere ſtatuitur, ſi a) poſt biennium repetita renunciatio & b) iureiurando confirmata. Liqueſt proinde neutro hoc caſu requiri, ut in iudicio renunciatur. Procedit nunc Legislator ad caſum: *Si mulier ſe pro marito vel extraneo PERSONALITER obligat*, ubi primo refert: conſuetudine eſſe hucusque inventum, ut interceſſiones & renunciaciones etiam *ſine iureiurando* fiant. Deinde ſecum quaſi alta mente diſceptans: Annon reipublicae interſit, ut is abſque iuriſiurandi ſolenitate renunciandi modus abrogetur, id, tandem dicit, ob metuendam rerum infinitam conſuſionem fore admodum difficile & periculofum. Id circo ſecum poſtremo conſtituit, tolerandam quidem eſſe ulterius illam inveteratam conſuetudinem, ac ita quoque in poſterum iniuratas debere renunciaciones valere, id tamen non indiftinſte, ſed habito perſonarum & bonorum reſpectu, igitur in certis tantummodo caſibus, quos in ſequentibus determinat. Scilicet quoad *virgines & viduas* confirmat illam conſuetudinem, ſtatuens ſcilicet, ut earum renunciaciones etiam abſque iureiurando validae debeant eſſe, modo ſint factae a) autoritate curatoris, b) a feminis natu maioribus, denique c) in iudicio. Poſthac diſponit quoque quoad *uxores*, ut ſcilicet ſub iisdem conditionibus pariter quidem validatae ſint earum iniuratae renunciaciones in caſu, ſi ratione *hypothecae pro dote conſtitutae, aut alius iuris uxorii intercedant & renuncient*; valeant vero nunquam in caſu, ubi ſit interceſſio & renunciatio a) *ratione rerum dotalium*, b) *ratione rerum in donationem propter nuptias vel c) in dotalium conſtitutarum*. Tunc enim utique ait, necelle eſſe, ut *iureiurando firmetur* ille actus renunciacionis.

Ita

Ita vero omnem hic paginam vides impletam, quaestione, ubi in seminarum renunciationibus opus five non fit iureiurando, & iudicis auctoritatem desiderari tantum in iis casibus, ubi ex mente legislatoris iusiurandum non est praecipuae & absolutae necessitatis. Videntur igitur fallaciam committere a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, qui ex hac sanctione generalem construunt hanc regulam: Omnes nimirum SCII Velleiani renunciationes necessario oportere in iudicio fieri, quam sententiam ne CARPZOVIO quidem, licet ipsi adversarii eam adfingant, sedisse arbitror & conicio ex collatione *defiz.* l. XI. & XVII. P. II. Conf. XVI.

V.

Eadem fortasse facili opera possent refelli, quae ex aliarum terrarum Germanicarum statutis referuntur pro necessitate renunciandi in iudicio. Verum dum illud longioris & temporis & tractationis opus foret, ac constitutum est nobis in praesenti, missa illa iam facimus, & pedem placet mouere ad ius peregrinum scilicet Romanum, ex quo 1) adlegatur L. 14. D. §. 1. sol. matr. ubi VLPIANVS *paſſa, quae contra bonos mores sunt, nulla declarat.* Dicitur autem pactum illud renunciationis, quia legibus prohibitis adversum, bonis moribus repugnare, necesse igitur esse, vitii huius purgandi causa, ut ad iudicium conuoletur. At, qui lubens concedo maiorem, lubens quoque minorem nego propositionem. Etenim, quam falsa haec sit, id Viri exquisitoris doctrinae perspexerunt iam permulti, & ex recentioribus abunde demonstraverunt, cum primis Viri celeb. IVST. HENN. BÖHMERTVS *diff. de effie. mul. interc. c. 1. §. VI. & litt. Z.* & GOD. LVD. MENCKEN, ad quos lectorem & me remitto. Sic vero fallit & ipsa conclusio, quia ubi vitium non adest, nec pur-

purgandi & eius causa ad iudicium convolandi, necessitas adest.

VI.

Deinde 2) in auxilium vocatur L. fin. §. 4. ff. ad SCt. Vellej. ubi POMPONIVS mulierem iubet coram Praetore cavere, se non esse usuram exceptione SCTI Vellei. Et cheu! quam in fronte haec lex mihimet ipsi videbatur adversariorum sententiae ferre praesidium. Verum tandem & hic rem meam salvam inveniebam. Missio enim, qui in eius explicatione existit, DDrum dissensu, quorum alii iudicalem, alii pariter extraiudicalem renunciationem ex illa defendunt, admodum singularem cognoscebam casum in hac lege exhiberi controversiae nostrae ne in ullo quopiam puncto congruentem. Scilicet supponitur mulier fideiussione pro alio onerata, quae de solutione facienda, a creditore admonita paratam quidem se dixerat esse ad iudicium accipiendum, i. e. consenserat in iudicem pedaneum, quem dabat pro more Praetor, at simul illiquidi exceptione voluerat causam differre, atque postulaverat, ut coram illo pedaneo iudice punctus ut dicitur liquidi prius discutere-
retur, ideo ante omnia in debiti veritatem & quantitatem inquireretur, quod Pomponio videbatur non denegandum. Verum autem ne, quod erat metuendum, si forsitan iam in liquidi passu decisa, femina ad huc confugeret ad SCti Vellej. beneficium, iudicium post modum reddatur elusorium; ideo voluit Pomponius, mulier intercedens ut statim in limine iudicii, vel ante coeptum, illud huic beneficio nuntium mitteret, & tunc demum ad iudicem pedaneum ireret. Sane igitur neque ex hac lege cum aliqua ratione generalis potest regula effingi, quia 1) de plane singulari & summe diverso casu in illa disponitur, & 2) cautio haec
B non

non ea propter, quod semper & necessario in iudicio esset praestanda, sed quia disceptatio coram Praetore orta esset, a femina exigebatur.

Merentur in hanc rem conferri, quae B. BOEHMERVS cit. l. §. 19. n. 2. p. 62. seqq. ad hanc legem pro more egregie est commentatus. Neque sicco pede praetereundum, quod in libris βασιλικῶν L. 26. Tit. 7. L. 63. n. 4. dicitur tantum. *Mulierem ante litem contestatum cavere debere.*

VII.

Confugitur 3) ad L. 8. §. 3. eod. quae ex VLPIANI responso mulieri contra SCtum obligatae debitoremque suum deleganti conditionem concedit. Formatur enim exinde argumentum: Quod si conditio danda mulieri, quae dum intercederet & dum delegaret duplici pacto se obstrinxit, concedenda sit multo magis feminae, quae simplici tantum pacto fideiussione scilicet et renunciatione se obligavit.

Ergo hanc nullius valoris, unicum praesidium in iudiciali renunciatione quaerendum esse. Sed quod levioris momenti arbitror esse argumentum, brevi loquio poterit refelli. A muliere enim dupliciter se obstringente non valet consequentia ad renunciantem. Ratio differentiae est, quia haec renuncians ius suum edocta, illa si vel sexcenties se obliget, iurium suorum vel semper nescia est, vel certe in iure praesumitur. Condonanda igitur huic geminata intercessio, non illi, cui verus illud: *Sponde, noxa praesto est*, ob oculos positum fuit.

VIII.

In arenam nunc voco 4) L. 22. C. ad SEt. Vellej. ubi Iustinianus: *si mulier perfectae aetatis post intercessionem*
vel

vel cautionem conscripserit vel pignus aut intercessorem praestiterit, sancimus antiqua legum varietate cessante, si quidem intra biennale iuge tempus post priorem cautionem numerandum, pro eadem causa fecerit cautionem, vel pignus aut fideiussorem dederit, nihil sibi praedicare, quod adhuc ex consequentia suae fragilitatis in secundam iacturam incidit. Argumentum, quod exinde ducitur, cum mox praecedenti ferme convenit, & ita se habet: Si Imp. nullum pronunciauit pactum geminatum, quod tamen monente VLPIANO L. 1. pr. ff. de constit. pec. maximae alias erat auctoritatis, non potest non magis multo concidere unicum sive simplex renunciationis pactum. Ita tamen rursus opus est, ut alia ratione iudicii scilicet autoritate hoc simplex suffulciatur. Vtitur hoc argumento cum primis BACHOVIVS. Verum tanti nominis ICto vix dignum illud eodem, quo supra, telo potest expugnari. Ecquis enim est, qui non videat, BACHOVIVM quoque argumentari a diversis ad diversa ab intercedente, scilicet femina iurium suorum ignara, ad renunciantem beneficii competentis optime gnaram.

Neque obstat, quod ex repetita intercessione praesumatur mulier renunciaffe. Recte enim Maximil. Imp. in Ordin. de Notar. §. 14. edixit: daß der Consens und Einwilligung nicht gestreckt werden möge auf dasjenige, was einem nicht wissend:

Obiter observo, ICtos latere, quatenus haec fuerit legum varietas, quam meminit Imperator, quoniam ille observante BALDVINO in IUSTINIANO L. 3. in fine nullas eius generis LL. in libros suos retulisse videtur. Fortasse, uti suspicor, ICti veteres varie interpretati sunt, cit. L. ult. §. fin. ad SC. Vellej. quae cautionem mulieris admittit.

Quare

Quare IUSTINIANVS hanc sententiarum differentiam
 distinctione illa: an intra, an post biennium sit interposita
 cautio, forsitan adlaboravit tollere.

IX.

Restant alia adhuc quaedam argumenta, quibus pu-
 gnatur ab adversariis, & quae peruntur e. gr. ex L. 23. §. 2.
 C. eod. L. 1. 14. 16. C. eod. nec non ab intentione & causa
 impulsiva SCTI VELLEIANI. Verum fateor, pleraque
 mihi videri aliquid nugatorii generis habere, & artificiosa
 esse atque obscura adeo, ut Oedipo fortasse foret difficile
 subodoratu, quid sibi velint. Neque etiam dubito in la-
 tiori palaestra, & si aliquando maiori vacabit orio, facili ne-
 gatio posse cuncta refelli.

lam autem

Hic Plato iubet quiescere.





Marburg, Diss., 1749/52

VD 18

nur Bd. 1, 4

TA-OL

ULB Halle 3
004 773 071



f





12
Pt. 25. num. 23. 8. 5. 29.
RESOLVTIONES LEGVM ALIQVARVM
QVIBVS VVLT PROBARI

1752, 6.
21
FOEMINAS NON NISI
IVDICIALITER
SCTO VELLEIANO
VALIDE ET EFFICACITER RENVNCIARE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

P. 228.
FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA
AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN INCLITA MARBVRGENSI ACADEMIA

PRO LICENTIATVRA

IN VTROQVE IVRE CONSEQVENDA

SOLEMNI ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B M I S S A E

A

CAROLO LVDOVICO SCHROETER

AVGVSTISSIMO ET POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI

A CONSILII REGIMINIS IN DVCATV MAGDEBVRGENSI, ET ASSESSORE

PRAESENTATO CAMERAE IMPERIALIS, QVAE VEZLARIAE EST.

DIE XIII NOVEMBR. MDCCLII.

RESPONDENTE

IOANNE LVDOVICO CONRADI

MARBVRGENSI.

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI.

